



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Cap. Dominus 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

us à jure inferuntur. Hoc verò textu nostro in d. c. licet suspensio ab officio & beneficio in Capellanum statuat; non tamen ex ipso jure intelligitur, sed summus Pont. jubet eam infligi per Episcopum, sicut rectè interpretatur huic text. Hostiens. quem refert & sequitur Panormit. videlicet propter circumstantias ipsius delicti & delin-

quentis, ob quas poena quandoque gravior statuitur, ut ante probatum est. Et sic verior mihi videtur interpretatio Panormit. sup. adducta, quòd poena in secundo benedicente arbitraria sit, id est inspectis & examinatis circumstantiis à iudice sit concipienda & adhibenda.

## In Cap. Dominus 2.

## S V M M A R I A.

1. Ad secundas nuptias transvolare non licet, nisi constiterit de morte alterius conjugis.
2. Et quid si dubia mors sit?

**P**rohibet hoc textus S. Pont. ne quis ad secundas nuptias migret, antequam cered sibi constet, mortuum vel mortuam esse conjugem suam. Idem tradit *sex. inc. In praesentia 9. sup. De sponsal.* ubi hanc rationem reddidimus, quòd matrimonium semel legitime contractum inter Christianos non nisi morte dissolvatur, c. *pon. & ult. inf. mod.* Excepto casu professionis vitae monasticae, quòd matrimonium ante consummationem etiam invito altero conjugè rectè dissolvitur, c. 2, c. 7, *sup. De convers. conjug.* Non igitur ignorantia sive

absentia alterius conjugum dissolvit matrimonium, ita quòd ad alterum matrimonium convolare liceat.

Sed quid si vir sive mulier dubia, id est, non accepto certo nuntio de morte alterius conjugis, nihilominus ad secundum matrimonium transeat? Subjungit hic textus ostert, eum, qui sic matrimonium temerè contraxerit, postulantibus secundo marito, vel mulieri tenent reddere debitum conjugale, non verò exigere. Siquidem secundus maritus vel mulier, qui quòve bona fide contraxit, debito suo privandus non est, cum factum cuique suum, non alteri nocere debeat, l. *Factum cuique De R. l.* neque dubitanti permittitur, ut contra dubium conscientiae exigat debitum, c. *Litteras 13. vers. porro sup. De restit. spoliar. & c. fin. De praeser. vide quòd latius dixi ad d. c. In praesentia*

## In Cap. penult. &amp; ultimum.

## S V M M A R I A.

1. Secunda nuptia jure Canonico permittitur mulieri citra notam infamiae.
2. Poenas alius in mulierem intra annum luctus nubentem jure civili constitutas hodie abrogatas esse.
3. An et alia in favorem liberorum prioris matrimonii introducantur?
4. Et quid de vidua, quae intra annum luctus ex alio peperit, vel stuprum passè est?
5. Quid si liberis prioris matrimonii nuptiis secundum matris consenserint?
6. Conditio, si non nupserit, an rectè adiciatur legato à marito relicto uxori, vel contra?

**E**adem utriusque Cap. sententia est. Permittunt enim mulieri post mortem mariti sui alteri viro nubere, absque ulla infamiae nota, quae alias ex praescripto juris interrogabatur mulieri intra annum luctus nubenti, l. 1. c. 1. 2. *C. de sac. nupt.* Idèd verò ius civile hanc infamiam non introducebat contra mulierem, ut saltem hujus metu certo

tempore abstineret à secundis nuptiis ad evitandam turbationem sanguinis per secundum matrimonium. Fortè enim antè conceperat ex priore marito, l. *Liberorum 11. § 1. D. De his qui notan. infam.* Quod cum non exquò sit in marito, nulla infamia in eum statuta est, quòcumque etiam tempore aliam uxorem duxerit, atque idcirco neque lugere uxorem coetur, l. *Uxores 9. D. jam dicto tit.* Hodie autem & in muliere hae infamia juris civilis cessat, per hunc text. nostrum, qui hac in re auctoritate D. Pauli utitur, l. *ad Corinth. 7.* dum inquit: *Mulier alligat a est legi, quanto tempore vir ejus vixerit: quòd si dormierit, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino.* Idem ferè repetit D. Paulus *ad Rom. 7. c. in princ.* Igitur cum mulier statim marito mortuo liberam potestatem habeat alteri nubendi, ex jam dictis verbis D. Pauli, merito hae infamia juris in muliere intra annum luctus nubente sublata censetur, etiam quoad forum civile per hunc text. nostr. Et hoc quoad infamiam expediti juris est.